Hi a. fratrum filij cum pares sint defuncti fratrib. preferuntur procul dubio eiusdem defuncti patruis, & alijs similib. Et in his successionib. omnino cessat sexus & agnationis ro.

Hic nota differam inter agnatos & cognatos. Agnati[a] dicuntur, qui nobis sunt coniuncti per sexus virilis, quasi à Patre cognationes appellamus collaterales à parte gladij. Cognati vero sunt, qui per fœmineum sexum nobis sunt coniuncti, hos collaterales à parte fusi appellamus.

Post fratres[b] fratrumque filios vocantur quicunque gradu sunt proximiores, & pares in gradu pariter admittuntur, sublata omni differa de Iure Prag. masculorum & fœminarum. F. 14.

Hic notandum tot esse fratrum species, quot liberorum ac parentum. Quidam enim fratres sunt naturales et legitimi simul: quidam naturales tantum: quidam legitimi tantum: quidam fratres spurij vel vulgo quæsiti, qui tamen uterini[c] sunt, & succedunt sibi invicem ab intestato: quidam sunt nefarij & incestuosi, qui ob atrocitatem delicti nec ad Patris nec ad matris successionem admittuntur: quidam adulterini, quib. de rigore Iuris civilis, ne alimenta quidem à parentib. debentur, cum sint ei substantia parentum indigni,[d] nec nomen habeant filiorum. Licet de æquitate Canonica debeantur illis alimenta[e] propter naturalem æquitatem, quam Canones semper ob oculos habent. Educatio siquidem est Iuris naturalis, atque originem trahit ex instinctu naturæ, adeo quidem, ut si Parentes liberis indigentib. alimenta negaverint, homicidij possint accusari.[f]

Quartus ordo succedentium est Coniugum.[g]

a § 1. Inst. de legit. agn. tut.

b auth. post fratres fratrumque C. de legit. hæred.

c l. 2. & l. si spurij. ff. unde cognati.

d § fin. auth. gl. mod. natur. effic. sui. collat. 7. auth. ex complexu C. de nefar. & incest. nupt.

e c. cum haberet. & ibi pulchra gl. in verbo, secundum facultates. De eo qui duxit quam adult. poll. in fine.

f l. necare. ff. de liber. agnosc.

g l. un. C. unde vir & uxor.